

4

1339

DECANUS
 ORDINIS JURIDICI
 IN ACADEMIA VVITTENBERGENSI,
 CASPAR HENRICUS
 HORNIUS, JC.

Codicis Prof. Publ. Consiliarius Regius,
 & Electoralis in Senatu Provocationum,
 nec non Collegiorum Juridicorum, quæ hic sunt,
 Assessor

LECTURIS OMNIBUS

S. P. D.

De Scto Vellejano

Diss. jur. civ.
 217,36

DECANUS
ORDINIS IURIDICI
IN ACADEMIA WITTENBERGENSI
CASPAR HENRICUS
HORNIIUS, J.C.

Codex Prof. Pabl. Consultarius Regius
& Electoralis in Senatu Provocationum
nec non Collegiorum Juridicorum, per hic tant
Auctor

LECTURIS OMNIBUS

S. P. D.

Handwritten signature



Romanam Nomothesium a tutelae cura
 raeve administratione sequiorem
 sexum ab antiquissimis temporibus
 exclusisse, nemo ignorare potest,
 qui vel leviter doctrina juris Qui-
 ritium est imbutus. Testatur illud

NERATII PRISCI JCTI TRAJANO

L. ult. ff. de
 Tutel.

coaevi effatum Lib. III. Regular: *Foeminae tutores dari non
 possunt, quia id munus masculorum est.* In eandem senten-
 tiam ALEXANDER SEVERUS Otaciliae rescripsit: *tutelam
 administrare virile munus est, & ultra sexum foeminae infir-
 mitatis tale officium est.* Allegat Imperator infirmitatem
 & imbecillitatem, quae sexum hunc ut plurimum comi-
 tari, ac premere solet. Ob quam sub perpetua tutela esse
 foeminas, atque ab aliis regi, veterum Romanorum statu-
 ta & mores exegerunt: voluereque Quirites, nullam
 rem agere foeminas sine auctore, sed in manu esse paren-
 tum, fratrum, varitorum. Hanc ob causam porro existi-
 matum est, praeter rem esse, & haud conveniens, illas
 aliis regendis impertire, quae ipsae sub aliorum tutela
 essent, eorumque auxilio & auctoritate in rebus suis admi-
 nistrandis uterentur. Et si vero mulieres tutelae vincu-
 lis atque conjunctorum manui se subducere postea coe-
 perunt in Romana civitate, atque non nisi impuberibus
 deinde, aut minoribus tutores curatoresve dati: illa ta-
 men superstes mansit juris definitio, ne ad aliorum tute-
 lam curamve accederent foeminae, cum aequum visum
 fuerit ab aliis pericula avertere, quae fragilitas, levitas,
 mobilitas, aut impotentia sexus sequioris, rerumque igno-
 rantia forensium creare potest, licet alioquin mulieres
 in rebus suis peragendis suo arbitrio relinquerentur. Et
 ideo & testamento patris frustra mandabatur tutela ma-
 tri, nec provinciae Praeses hanc patris voluntatem recte

L. 1. C. quan-
 do mulier
 tutelae.

Conf. L. 1. §.
 1. ff. §. 10. J.
 de Legit.

tut. L. 21.
 pr. ff. de
 tutor. &
 curat. dat.

L. 73. ff. de
 R. J. L. 18.
 C. de pro-
 curat.

Ulpian. Tit.
 II. §. 24. 25.
 Rittersb. ad

L. XII.
 Tabb. Class.
 3. p. 1. c. 13.

L. ult. C. de
 legit. tutor.
 §. 13. J. de
 Excusat.

L. 3. C. de
 Legit. tut.
 L. ult. C.

Quando
 tut. esse des-
 pr. J. quib.
 mod. tut.
 fin.

L. 26. de
 Test. tut.

sequebatur, ut PAPINIANUS Lib. IV. Respons. docet. Non
 fuit tamen & haec res sine temperatione juris. Namque
 ex ejusdem PAPINIANI Libro V. Respons. discimus, patrem
 tutelam filiorum consilio matris geri, mandare posse, at-
 que tutoribus convenire, salubre matris admittere consi-
 lium. Animadvertent enim Romani, & foeminas in-
 terdum opportuna loqui, & consilia istorum, cum & pru-
 dentissimae saepe reperiantur, non semper esse negligenda.
 Imo sub Principibus in usum venit, ut mulieres filio-
 rum tutelam postularent ab iis speciatim, ac ob singula-
 rem & tenerrimum affectum erga liberos, quo levitatis
 & impotentiae muliebris suspicio elevatur, impetrarent:
 quod NERATIUS loco, quem indicavimus, observat, & CA-
 JUS innuit, quando Libro XII. ad Edictum Provinciale,
 tutelam *plerumque* virile officium esse, scriptum ab eo le-
 gitur. Quorum duorum Jurisconsultorum fragmenta testimo-
 nium perhibent, jam sub TRAJANO, HADRIANO, DIVIS-
 QUE FRATRIBUS foeminis hoc beneficium fuisse indultum:
 nisi forte, quod vero absimile non est, interpolaverit
 aliquid hic manus TRIBONIANI. Pertinet vero etiam huc,
 id quod ULPIANUS Lib. XIII. ad SABINUM tradit, de ma-
 tre, per quam pater rem liberorum administrari voluit,
 quae nec petiit tutores, nec *legitime h. e. ex decreto Princi-
 pis* tutelam administrabat. Quocumque tamen tempore
 sub Principibus usus hujus tutelae maternae ortum coe-
 perit: illud tamen certissimum est, nullam de hac re
 antiquiorem extare constitutionem quam THEODOSII
 MAGNI rescriptum TATIANO Praefecto Praetorio da-
 tum Mediolani, VALENTINIANO A. & NEOTERIO Coss.
 quod in annum CCCXC. incidit, quodve a JUSTINIANO,
 paulisper tamen immutatum, in suum Codicem est trans-
 latum. Agit illa constitutio, de matribus solis, non aviis,
 iisque legitima aetatis, quae amissis viris tutelam in li-
 beros postulant, sicque non invitae accedunt, atque *fa-*
ten-

L. 5. §. 8. de
administr.
tut. & cu-
rat.

L. 20. C. de
Nupt.

L. ult. ff. de
Tutel. L. 16.
ff. de Te-
stam. fact.

L. 2. §. 25.
ff. ad SCt.
Tertull.

L. 4. C. Tb.
de tut. &
cur. creand.

L. 2. C.
quando
mat. tut.
offic.

tentur actis, ad alias nuptias se non venire. Quam quidem
 professionem coram actis simplicem' exigit haec consti-
 tutio, sine sacramenti exactio: ut adeo mirum videat-
 tur, cur JUSTINIANUS vel TRIBONIANUS potius
 haec verba SACRAMENTO PRAESTITO inferere non
 dubitaverit. Respexit tamen forte THEODOSII junio-
 ris novellam constitutionem, quae apud SICHARDUM
 post Codicem Theodosianum legi potest, ubi matris
 mentio fit, quae legitima liberorum tutela suscepta ad se-
 cundas contra sacramentum praestitum nuptias adspira-
 vit: ut adeo vel interpretationem usuaalem, vel aliam le-
 gem jusjurandum exegisse omnino credibile sit, etiam
 jam ante hanc novam THEODOSII legem. Porro eadem
 constitutione THEODOSII M. & Novella modo in par-
 tes vocata, cautum est, ut si post tutelam susceptam mu-
 lier nupserit, secundi mariti bona tacito jure pignoris
 privignis obligentur; & denique ut deficiente demum ac-
 cedat tutore *legitimo h. e. justo*, sive is a lege tutor sit, quem
 alioquin in sensu exquisito legitimum dicimus, sive te-
 stamento datus; sive is in totum deficiat, sive excusetur
 privilegio a tutela, vel suspectus submoveatur, vel pro-
 pter animi aut corporis valetudinem ne suis quidem re-
 bus administrandis idoneus reperiatur. JUSTINIANUS
 post haec hanc nomothesian auxit, atque ad matres na-
 turalium liberorum porrexit, quibus pater in his rebus,
 quae ab eo in liberos profectae, & proficisci possunt, tu-
 torem non reliquit, quod naturali genitori ita licere, tum
 ex hac, tum ex alia constitutione Justiniani satis liquet.
 Probavit simul, quod ad secunda vota attinet, jurisju-
 randi necessitatem, atque quod in anterioribus legibus
 non habetur, jussit ut S^Cti Vellejani praesidio, omnique
 alii legitimo auxilio nuncium mittant matres, suamque
 substantiam supponant. Quod quidem ultimum omni-
 bus aliis tutoribus commune jam antea fuit; nisi forte id

L. 6. C. ad
 SC. Tertull.
 L. pen. C. in
 quib. caus.
 pign. L. 10.
 C. de legit.
 hered.

L. 3. C. b.
 tit.

L. 4. C. de
 confirm.
 tut.

L. 19. seqq.
 ff. de reb.

auctor. ju-
dic. possid.
L. 20. C. de
admin. tut.

voluit JUSTINIANUS, diserte etiam debere foeminas bona sua obligare nec tacitum nexum sufficere, ut eo magis sibi caveant, ne faciant, quo minus res pupilli salva esse queat. Instauravit plenius hanc legislationem Novella XXII. cap. 40. poenis etiam in matres binubas accumulatis: quo tamen loco, dum legem permittere ait filiis, ut bona matris in hypothecam habeant, legale pignus, seu tacitum in anteriore constitutione sufficere visum esse, non male dici potest. Sed immutavit tamen quadantenus postea istam nomothesium JUSTINIANUS ipse. Quoniam enim experiebatur mulieres quidem maritis nuper extinctis, recenti adhuc dolore, promptas paratissimasque ad jurandi conditionem esse, postea tamen remisso moerore pertaesas viduitatis legem praevaricari, & prius connubium & jusjurandum contemnentes novos appetere amplexus, satis esse duxit jusjurandum non praeberi, sed nudae promissioni, eas committi, arcerique saltem a tutelae munere, si in thalamum veniant novorum maritorum. Voluit vero caetera, ἀπολλάξαι αὐτὰς ἢ τῷ βεβλιανείῳ δόγματι, ἢ ἀπάσῃ βοήθειᾳ, ἢ ἅπαντα πράττειν ὅποσα ἔμπροσθεν διώρισται. Atque ideo in Novell. CXIIX. jurandi onus penitus omisit. Debetur porro huic Principi quod matres debitrices & creditrices ad tutelam & curam admittantur; quod aviae paria jura cum matribus consecutae, quod utraeque legitimis speciatim ita dictis tutoribus praeferantur, solisque postponantur illis, qui testamento ex defuncti voluntate & electione sunt constituti: quodve denique non postulari speciatim aut impetrari hanc tutelam opus, sed omnes matres atque aviae, minorem tamen aetatem egressae, sine speciali Principis indulgentia ad illam admittantur. Quanquam vero ita magna JUSTINIANI sollicitudo fuit, ut omnia, quae ad hanc tutelam pertinent, certo, non dubio jure innitantur: nemo tamen negabit,

N. L. XXII.

c. 1.

N. XCIV.

c. 2.

N. CXVIII.

c. 5.

bit, qui Interpretum libros vel leviter inspexit, de quam plurimis capitibus quam maxime Dd. nostros inter se digladiari. Sola illa quaestio: *utrum matres & aviae solis a latere cognatis*, quod clarissima JUSTINIANI verba innuere videntur; *num vero etiam ex ascendentium ordine venientibus praeponatur*, mirum dictu, quantas lites pepererit, & quam varie inter se dissentiant circa hoc quaesitum Commentatores nostri. Nostrum institutum non patitur istas lites repetere; cum praesertim nobile illud quaesitum *de praelationis jure, quod matri & aviae, si cum aliis ascendentibus concurrant, nonnulli vindicant*, in Dissertatione sua inaugurali nobilissimus Juris Candidatus, quem publice nunc sisto, excusserit, atque sententiam, quam defendendam sibi elegit, propugnare studiose allaborarit. Quia tamen occasione hacce in argumentum hoc incido, pauca quaedam addere adhuc lubet, quae ad dimissionem Vellejani dogmatis, & omnis auxilii alterius veniunt monenda. Et quidem quod attinet ad abdicationem beneficii ex SCto Vellejano sexui muliebri competentis, quo obligationes foeminarum, quibus pro aliis reae fiunt, improbantur, ita ut ne eo nomine ab his petitio, neve in eos actio detur; dubium omnino est, quae causa moverit Imperatorem, quod sub primordiis tutelae a foeminis suscipiendae, abdicare se eos voluerit illo auxilio, quo Senatus quondam Romanus omnes foeminas indigere existimavit. Imo renunciatione ista plane non opus esse, & frustra illam fieri, non sine causa videtur. Dum enim tutelae administrationem liberorum suscipit mater, pro nemine se obligat, pro nemine intercedit, sed ipsam se obstringit liberis suis & revera suam suscipit obligationem. Qui ergo posset locus esse praesidio Vellejano? & si Vellejanum nullum locum hic invenit, quid prodest illa renunciatio? Equidem video GLOSSAM hac ratione dubium hoc tollere velle, *quod mulier, cum creditoribus pu-*

*Vid. post
Accursium
Bart. Bald.
Salic. e re-
centioribus
Bachov. ad
Treutler.*

*Vol. II.
Disp. 8.
tb. 3. lit B.
Eyben. de
tutela foe-
min. P. 2.
membr. 3.
Muller ad
Struv. Ex-
erc. XXVI.
§. 26.*

*L. 1. 2. ad
SC. Vell.*

*Ad Auth.
matri &
aviae C.
pili quando mu-
lier.*

*Bart. ad d. pupilli promittat, pro pupillo intercedere videatur. Similia Cur-
avth. Ma-
tri.*

*Cuj. ad L. Auctoritas tutoris in negotiis pupilli intercessio est, L. 15. C. de ad-
26. ff. de te-
stam. tut.*

*Lib. 4. Re- a matre inanis & inutilis esset, nisi renunciasset Scto Vellejano.
Spon. Papin.
Ad Nov.
P. 8. c. 2.*

*Ejusdem Sententiae est RITTERSHUSIUS, existimans,
matrem, si non esset facta renunciatio, in judicio tutelae exceptio-
nem Vellejani objicere posse agenti, quoniam & tutela species quae
dam intercessionis pro alio non minus, ac fidejussio. Cujus sen-
tentiae auctorem noster CUJACIUM laudat. Verum*

*quod pace GLOSSAE, tantorumque Virorum dictum sit,
assensum illos hac parte omnimodo mereri, ego quidem
non puto. Nam primo quando mulier ad tutelae ad-
ministrationem accedit, non contrahit cum pupilli cre-
ditoribus, nec auctoritatem liberis impuberibus praestat,
sed ex susceptione & administratione muneris tutelaris
ipso facto, quod quasi contrahere dicunt nostri, ipsa li-
beris obligatur. Fac etiam dum administrat, creditori-
bus pupilli eam promittere, vel auctoritatem impuberi-
bus praestare, num id intercessio est? Non enim ani-
mus est mulieri, se ipsam obligare pro aliis; sed libero-
rum personam sustinet, & nomine illorum officiique ra-
tione agit, aut defectum aetatis illorum supplet: ut adeo
si secundum regulam rem aestimes, finita tutela adver-
sus tutricem ex his factis neutiquam possit agi. Hanc
rem satis confirmat DIOCLETIANI & MAXIMINIANI
constitutio, quam in partes vocat CUJACIUS: tantum
abest, ut pro hujus auctoris sententia quicquam facere
queat. Si non subscripsisti, quasi fidejussor, inquiunt Impe-
ratores, frustra vereris, ne ex intercessione (quae ab adulto
facta pro alio fuerat) quam signasti, ut Curator, (consensum
praestando) olim liberatus, ut affirmas, sententia Praesidis,
(a cura) ex officio curatoris conveniri possis. Apertissime
ex his constat, auctoritatem, & consensum tutoris, vel
cura-*

*L. 19. ff. de
reb. cred.*

*L. 1. C.
quando ex
fact. tut.*

*L. 26. C. de
administr.
tut.*

*L. 15. C. de
admin. tut.*

curatoris non esse loco intercessionis ; sed opus esse ut tutor, vel curator tanquam fidejussor diserte se obstringat, si ob causam pupillarem, qui cum illo contraxit, eum obnoxium sibi velit. Quin &, si forte coheres est pupillo, & in solidum cavit tutor, nihilominus in adultum pupillum pro parte utilis actio datur : ut adeo, si negotium pro parte spectat ad pupillum, pro alia ad tutorem, tutor videatur facere pro illa nomine tutorio, pro hac proprio. In *L. VI. C. de Curat. furiosi*, nihil reperio, quod pro ista sententia allegari possit. Quod enim ibidem de *intercessione curatoris* habetur, nihil aliud quam ipsum munus curatorium infert, de quo quaestio anceps erat olim, num in furoris intervallis in statu suo permaneat. Nec vide porro, quid *RITTERSHUISIUS* sibi velit, quando in iudicio tutelae exceptionem Vellejani objicere posse mulierem tradit, si renunciatio facta non esset. Judicium tutelae si ponas, praecipias, necesse est, matrem vel aviam a liberis ex facto administrationis actione tutelae in jus vocatam esse. Dum ergo ex facto proprio, propria ex obligatione convenitur; qua ratione quaeso illa defensione uti mater potest, quam Vellejanum suggerit ? quae intercessionem pro aliena praestruit obligatione: nec enim mulier in propriis contractibus auxilio hoc uti potest. Neque etiam, illud quod *HUBERUS* urget, huc pertinet, quod res suas obligent hae foeminae pro tutela, juxta *N. XCIV*: nam nihil aliud jura agunt, quam ut pro seipsis, minime pro aliis, bona ejus oppignorata habeantur. Neque etiam ullibi legitur, jus hypothecae in bonis tutorum, vel tutricum in gratiam aliorum, quam pupillorum receptum ; vel satisfatione tutorum id agi, ut aliorum res, quam pupillorum, salvae sint, atque sic, ob pupillorum debita, creditorum illorum securitati consulatur. Quod si objicias, esse tamen species, ubi & finito

L. ult. ff. quando ex fact. tut.

L. 10. L. 13. C. ad Sc. Vellej. Ad Instit. T. de Leg. par. tut. §. 3.

officio ex facto in causa pupillari gesto, ab illo, quo cum negotium gestum est, matres vel aviae tutrices in iudicium vocari possint, puta si dolum, vel maximam culpam in administratione admiserint, vel proprio nomine contraxerint cum alio, quamvis de re pupillari; quae res intercessionis rationem habere videntur: nec tamen id apud me efficiet, ut arbitrer, propter has causas necessariam esse hanc renunciationem. Nam primo quidem nescio, an hoc commode possit intercessio dici, si non ex fide officio suo defungitur mater, vel etiam magna culpa damnum conciliat pupillis. Deinde esto, intercessionem id posse dici: nemini tamen ignotum est, SCtum callide versantibus minime subvenire; atque magnam culpam paria facere cum dolo. Si ergo non juvatur SCto, nec cessione auxilii opus. Quae res etiam efficit, ut nec tum, si proprio nomine negotiata, beneficio SCTi inniti queat. Namque si ipsa suo nomine in pupilli utilitatem, dissimulata tamen hac re, contraxit, in dolo utique versatur, atque decipienti non prodest auxilium, nec illi id objici potest, qui nescivit eam intercedere voluisse. Ac sic iterum frustra exigitur renunciatio beneficii muliebris. Fac vero, illam bona fide recipere in se pupilli obligationem, atque ob hancce causam se ipsam per modum accessionis obstringere creditori; liberum huic est, ita cum illa pacisci, ne locus sit SCto. Quod si neglexerit, suae facilitati imputare debet, quod non cautius mercatus. Num vero opus, ob negligentis culpam, quae non adeo frequenter, quia plerique suis commodis student, contingit, omnes mulieres tutrices onerare hac renunciatione? Qua non facta, ut Dd. plerorumque est opinio, constans, munio tutelae defungi nequit, nec quicquam, quod vi efficacique sua perstet, peragere potest. Uti autem

ex

*L. 2. §. 3.
 L. 5. 18. C.
 ad SCtum
 Vellej. L. 32.
 ff. depositi.*

*L. 12. b. tit.
 L. 1. §. 5.
 Cod. ad SCt.
 Vellej.*

*Mont. de
 Tut. c. XIV.
 n. 59.*

ex hisce satis manifesto, puto, consequitur, intuitu pu-
pillorum praeter rem; illorum autem ratione, qui cum
hisce tutricibus contrahunt, praeter necessitatem exigi
hanc abdicationem: ita nescio an ullam aliam utilitatem
secum ferat, quam hanc, ut eo citius inveniatur mulier,
qui cum ipsa in rebus pupillaribus negotientur, & con-
trahant; si noverint dimisisse jam, quoad hasce causas
foeminam auxilium Vellejani dogmatis, atque adeo, si
pupillorum causam in se recipiat, non esse opus, ista
nunc defungi renunciatione. Quoad negotia judicialia
major necessitas hujus rei esse videtur. Quia enim sub-
inde evenit, ut tutrices liberos, coram illis, qui tribuna-
libus praesunt, tueri teneantur; ille autem, qui defensor
alicujus existit, procul dubio intercedit, cum in se alie-
nam obligationem suscipiat, quippe cum ex hac re sub-
eat condemnationem: utique haec res ad SCtum perti-
net, atque ut ULPIANUS docet eo comprehenditur.
Ne itaque, qui iudicium cum muliere tutrice susce-
perunt, exitu illius frustrentur, opus visum, ut hac ra-
tione iisdem prospiciatur. Sed tamen cum incertum,
utrum litem ullam unquam susceptura mulier, & si forte
quis reperitur, qui pupillos actione pulset, integrum ipsi
fit cautionem iudicatum solvi, vel aliam, qua opus, vel
quae, stylo iudiciorum, praestari solet, simulque renun-
ciationem beneficii muliebris, si ipsa satisfacere velit, exi-
gere: non etiam praecise necessarium fuisset, sub primo-
diis tutelae postulare talem renunciationem. Res ergo
& hic eo redit, utile quodammodo esse, in antecessum
hanc fieri renunciationem, ut eo citius, & facilius res
pupillorum progressum, & exitum nancisci queant. Ec-
quid vero proderit illa renunciatio, vel promissio de non
usu beneficii illis, qui, dum fit, nec praesentes sunt, nec
sciunt id fieri, nec noti, nec forte tum causam habent

*Bachov. ad
Treutl. Vol.
II. Disp. 8.
th. 3. lit. E
Dom. ab
Eyb. d. l. m.
2. th. 3. II.*

*L. 2. §. 5. ff.
ad SCt.
Vellej.*

in vobis
de vobis
de vobis

postulandi hanc abdicationem? Movit hoc dubium
GLOSSA, loco quem supra excitavimus. Sed bene re-
spondet, stipulationes & promissiones ex Praetoris vel
Judicis officio, quae proficiscuntur, & absentibus & igno-
rantibus actiones, multo magis replicas largiri. Atque
licet hodie stipulationes per servos publicos, aut privatos
non intercedant, sed promissio judici tantum fiat: ne-
mo tamen dubitat, ex pacto tertii alteri jus posse mori-
bus acquiri nostris. Ut taceam vero absimile haud esse,
jus JUSTINIANEUM non exegisse his casibus solen-
nem stipulationem, cum non de actione quaerenda,
sed de elisione exceptionis hic agatur. Paucis dispi-
cere nunc libet, quidnam per omne aliud legitimum
auxilium, vel ἀπαίτην βοηθείαν dictum velit JUSTINIA-
NUS. Scilicet omnia hic intelliguntur, quae ob favorem se-
xus mulieribus, ut mulieribus, tributa, concessaque no-
scuntur; ita ut per hanc renunciationem mulieres ma-
sculis coaequantur, atque ad jura communia sexus for-
tioris redigantur, nec habeant ob sexum beneficium ali-
quod in praejudicium pupillorum, vel aliorum, quatenus
circa officium tutorium occupantur. His positis ad ea
quae mulieribus, ut parentibus, competunt, quaeve ob
publicam honestatem circa foeminas constituta, cujus
exemplum ex Nov. CXXXIV. intuitu carceris peti po-
test, neutiquam haec porrigenda est renunciatio. Dum
enim lex indulget foeminis ea, quae alioquin conditioni
foemininae non quadrare existimatur, & masculis exae-
quat eas, favorem etiam sexus & sexui tributa restringi
aequum est: iniquum vero foret, haec ita in odium foe-
minarum detorquere, ut ea, quae beneficio sexus non
habent, sed aliunde originem ducunt, illis adimantur.
Uti vero id, quod circa dimissionem juris ex Vellejano
SCto sexui molliori quaesiti placuit JUSTINIANO, usus
con-

L. 2. ff. rem
pupill. salv.
for. §. 3.
Inst. de
Adopt.

De quibus
late agit
Decius in L.
Foemin. 2.
ff. de R. J.
n. 70. seq.
Dn. Eyben.
d. 1.

Cap. 9.

constans in Germanico foro servat, nisi sicubi oscitantia hominum id negligatur; nec summa Imperii Tribuna-
 lia ab eo recedunt, quae, ceu est pervulgatum, & a Princi-
 pibus & illustribus Matribus & Aviis exigunt, ut, si tute-
 las suscipere velint liberorum, abdicent se ante omnia
 hoc auxilio: ita generalem istam omnis praesidii renun-
 ciationem, quam per N. CXVIII, licet nulla ejus mentio
 fiat in ea, remissam haud censeo, hodie negligi, nec usu
 frequentari in Germania nostra, omnibus notissimum
 est. Id quod decisa Cameralia, & responsa vario-
 rum Dicafteriorum, Saxoniorum etiam, satis, abunde-
 que comprobant, & testantur. Praefari libuit haec in
 gratiam nobilissimi Juris Candidati nostri **JOHAN-**
NIS HEINRICI KONHARDI, qui ex
 tutelae maternae argumento quaedam sibi, ceu jam prae-
 cepi, selegit capita inter Juris peritos controversa, in qui-
 bus excutiendis ingenii vires periclitaretur. Ortum de-
 bet elegantissimae urbi, **LIPSAE** nostrae, optimorum
 ingeniorum matri, & altrici. Eo in loco hominum fre-
 quentia amplissimo, & ad bonam indolem excitandam
 maxime insigni procreatus est noster anno octuogesimo
 nono seculi superioris, nobilissimis parentibus, & omni
 laude egregiis. Pater ejus est consultissimus Vir **D.**
JOHANNES HEINRICUS KONHARDUS
 qui summos in arte juris honores adeptus, tum apud
 summum provinciale Tribunal, tum coram aliis, qui jus
 dicunt, per plurimos annos causas feliciter, & cum ma-
 gno applausu oravit: mater vero nobilissima matrona
BEATA REGINA OHEIMIA: quorum
 utrique superstiti filii honores merito gratulamur.
 Quum Christo filius initiaretur, pater suo nomine il-
 lum uti voluit: nihil magis etiam genitori huic, pariter

*Vid. Eyben.
 d. l. §. 3.
 Eckold. ad
 tit. de legi-
 tim. tutor.
 in fin.
 Carpz. P. II.
 C. II. D. 14.
 B. Stryk. de
 tutor. mat.
 Princ.
 P. III. §. 8.*

ac matri curae, ac cordi fuit, quam ut filio huicce, simul ac
fari coepit, praecepta pietatis, & bonarum artium instil-
larentur. Quam ob causam praeter sollicitudinem, quam
suscepere ipsi in formando charissimo hocce gnato, opti-
mos magistros seligerunt, quibus erudiendus excolen-
dusque traderetur. Neque hi fide, ac studio ei defue-
runt, sed ingenium liberale pueri, quod natura dede-
rat, magis magisque expolivere. Crescentibus animi
& corporis viribus, incrementa etiam coepit discendi ar-
dor, quem ubi parentes optimi persenserunt, nihil eo-
rum intermisere, quae ad vitae & studiorum rationes fi-
lii sui egregiae spei pertinere videbantur. Puerilia stu-
dia eruditi viri KELLNERUS, & ZIPPELIUS Scientia-
rum Philosophicarum Magistri, quorum hic apud Regi-
noburgenses scholasticam juventutem nunc erudit, fe-
liciter in aedibus paternis moderati sunt. Commissus
postea est doctrinae & institutioni illorum, qui in cele-
bri ludo Nicolaitano bonas artes docent: ubi praecipue
clarissimi Viri LUDOVICI CHRISTIANI CRELLII,
qui tum istam scholam cum laude regit, tum in Acade-
mia extra ordinem Philosophiam profitetur, industriam
ac fidem inter privatos ejus parietes expertus est, quam
nunquam non gratus praedicabit. Jactis egregie fun-
damentis dignus judicatus est, qui ad Academicas scho-
las mitteretur, opusque perficeret, quod tam feliciter
coeptum. Quia vero arti juris, auctore suaforeque no-
bilissimo Parente, se dicaverat totum, subsidiisque se in-
structum sentiret, quibus opus, si ad haec sacra accedere
animus & cupido est, unica & summa cura ejus fuit, ut
ductorem quaereret, cujus doctrina, fide ac dexteritate
in amplissimo gravissimoque hoc studio tuto initeretur.
Et quem meliorem reperire per fata potuissent, quam
celeberrimum MENCKENIUM? qui propter eruditio-
nem

nem summam, atque singularem plane in docendo
virum, ac peculiarem rationem instituendi cupidam Le-
gum Juventutem, jam ante multos annos magnam ce-
lebritatem famae consecutus, Ordini Juridico Lipsiensi
applaudentibus omnibus praeest, & hoc tempore guber-
nacula Academiae fortunate, ac prosperrime tractat.
Quam rem Magnifico Viro ex animo, atque eo magis
gratulamur, quod haec felicitas ipsi contingit, ut nobilis-
simum privignum, eumque excellentissimum Ictum, vir-
tutum suarum imitatore felicitissimum, eodem tempo-
re Magnifico Pro-Rectoris nostri Athenaei munere videat
egregie defungi. Huic itaque summo Viro se totum tradi-
dit, nec ab illius ore per omne illud tempus, quod in Ju-
ris studium impendit, recessit; verum id omni conatu
sedulo egit, ut non tantum prima rudimenta sub tanto
Doctore poneret, sed etiam ad altiora, exoptatum-
que finem perveniret. Effecit vero Viri hujus nomen,
ut simul filium ejus, consultissimum virum, D. GODO-
FREDUM LUDOVICUM MENCKENIUM, paterna ve-
stigia, uti in omnibus, ita in docendo praesertim,
strenue sequentem, assidue sectaretur, ejusque opera in
Philosophicis pariter, ac Juridicis studiis uteretur quoti-
die; ac frequenter illi adesset, cum disceptationes erudi-
tas institueret, saepiusque ipse tum oppugnantis, tum de-
defendentis partes mascule subiret. Tuitus etiam est
sub praestantissimi, hujus Icti praesidio superiori anno,
de Jure rescindi aedificia invito socio Dissertationem, atque,
dum huic rei operam navavit, fortiter stetit. Nihil ita-
que, cum, sub hisce Ductoribus egregie in scientia legali
illum profecisse, res ipsa doceret, superesse visum est,
quam ut eruditionis publicum testimonium, & honores
post tot labores promeritos consequeretur. Quam ob
rem optimus Parens, de filii salute sollicitus, ad nos illum
misit,

misit, ut apud ordinem nostrum nomen profiteretur,
atque dignitatem, quam Themis largitur, more solito
ambiret. Non potuimus his honestis desideriis deesse:
expertique sumus post utrumque scrutinium, quod ex
veteri more subiit, dignum illum esse omnino, qui ju-
ribus & honoribus Doctoris juris exornetur. Nunc in
publicum illum producimus, ac palam sistimus, ut omnes
intelligant, Candidatum hunc nostrum eam laudem, quam
ipsi tribuimus, mereri. Cras D. V. Dissertationem do-
ctam, quam conscripsit ipse, in cathedra publica exhi-
bebit, eamque sub nostro moderamine adversus dissen-
tientes naviter defendet. Rogo itaque Magnificum Do-
minum Pro-Rectorem Academiae, Illustrissimum Do-
minum Comitem, Perillustrem Dominum Baronem, Pa-
tres Academiae, Civesque omnes, eo, quo par est, cultu,
observantia, & studio, ut illustri, & honorifica, ac gratis-
sima sua praesentia panegyrim istam, quam instituimus,
cohonestare velint. P. P. Wittembergae apud Saxon.
IV. Trinit. MDCCXI.

VITEMBERGAE,
LITERIS GERDESIANIS.